

p. s. Coleopteron illud scolopetizans vel explodens, a Rolandro in A. St. descriptum, si in natura ad me transmitti posset, pergratum quoque mihi foret donum.

(28) Viro Perillustri
Equiti Generosissimo C: Linnæo
S. P. D.

Mense Octobr: 1759. C. G. Kratzenstein.

Parum aberat, quin erubuerim, cum ultimæ Tuæ mihi traderentur literæ, exeunte anno præcedente ad me datæ. Mirabar, tantum virum eousque descendere, ut taciturnum amicitia et favoris plus quam solito testimonio excitare velit. Non poterat non mea Tibi præterea debita veneratio magnum inde capere incrementum. Ast mens mea tunc temporis tristi nimis indignatione obnubilata erat, quam ut non in eundem soporem facile iterum inciderim. Postquam famem meam respectu cognitionis rerum naturalium, ex aureo tuo opere, quo gratius donum mihi transmittere non potuisses, cum Euphoria expleveram, statim cogitabam de grati animi mei quadam tessera. Monebam sæpissime Regenfusium ut textus ad tabulas suas conchyliorum completum et splendidum Tibi exemplar traderet. Juste vero is tum monito meo se obsequium præstare posse recusabat, quoniam non nisi 25 exemplaria completa ex prælo prodierant, qui numerus vix aula regiae sufficiebat. Præter expectationem enim increscente opere, in ultimis plagis imprimendis charta deficiebat, nec hic tum comparari poterat. Expectandum adeoque erat donec altera impressio esset absoluta, quæ statim suscipienda erat. Hac occasione vero fatum aliquod expertus sum in orbe literario fere inauditum, quod me per longum tempus in historiam naturalem iratum reddidit. Historia quidem naturalis proprie non erat in culpa. Sed inter medicos notum est, si quis irascatur circa pastum de re plane aliena, de qua vero vindictam capere nequit, naturam suam convertere indignationem in cibum comestum, ejusque digestionem denegare, vel eundem tanquam adversarium suum habere (loquor hic tanquam Stah-